


~~XXXX~~
38





Q. D. B. V.
De

NOCTAMBULIS

DISPUTATIO POSTERIOR.

Quam
WITTEBERGÆ

A. D. VI. FEBRUARII, A. C. clj Ixc L.

Disquisitioni sistunt publicæ

PRÆSES

M. SAMUEL POMARIUS,
SILESIUS,

COLLEGII PHILOSOPHICI ADJUNCTUS.

&

RESPONDENS

JEREMIAS SCHWITZ/

FRIDBERGA SIL.

*Habebitur in Auditorio Minori horis
matutinis.*



NOCTAMBULLIS

DISPUTATIO POSTERIOR

M. SAMUEL POMARIUS

FEREMTAS

FR. DEBERGA



IN NOMINE DOMINI JESU!



Um Somnus per ἀκίνησιαν καὶ δεσμὸν
τῆς αἰσθήσεως, & κατάληψιν τῶν πρώτων
αἰσθητικῶν describitur Aristoteli L.
περὶ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρευσεως c. 3. aut aliis
Physicorum per privationem sensuum
externorum sensûsque communis & fa-
cultatis Locomotivæ in animalibus, à
spirituum animalium negatione ob sa-
lutem animalium factam; id, ex indole Definitionum, de na-
turali somno perfectoque, non de Symptomático & imper-
fecto capiendum est. Est somnus alius simpliciter & universali-
ter vigilia oppositus, alius secundum quid & in parte solum. Sim-
pliciter quidem, quo & sensûs omnes & motûs voluntarii ligati sunt:
secundum quid autem & in parte tantum, in quo vel non sensûs o-
mnes sunt ligati, vel sensûs ipsi quidem ligati sunt, motûs autem
voluntarii non. Nam quoniam neq; idem spiritus, neq; eadem via,
neq; eadem species sunt sensuum omnium & motuum, fieri quidem
potest, ut plures ligentur sensûs, non tamen omnes, vel sensûs qui-
dem ligentur, motûs autem voluntarii non: accuratè disputat
Hier. Fracastorius lib. 2. de intellectu. Scilicet est utiquè
Somnus sensuum cessatio, & sentiendi impotentia. Non
quævis tamen promiscuè: nam & in animi deliquiis, & in de-
liriis quibusdam, & in venis jugularibus cùm apprehen-
duntur adstringunturque eripi sensûs assolent: sed naturalis,
& quæ sit ἀδυναμία τῆς χεῖρας ἐν τῶν πρώτων αἰσθητικῶν,
docente Aristotele l. c. c. 2. Verè in exacto & consummato
somno sensûs quiescunt, pro actu secundo sumti videlicet,

4.
tūm externi, tūm communis. Visus non percipit colores,
nec auditus sonos, nec olfactus odores, nec gustus sapes.
nec tactus qualitates tactiles. Communis etiam sensus, qui
aliās Regis adinstar aut iudicis velut in throno aut pro tribu-
nali sedens, ab externis illis apparitoribus allata æstimat &
iudicat, non recipit ibi sensibilium species, non discernit
sensilia propria à se invicem, nec à communibus, nec Phanta-
siæ quidquam suggerit. Nec Locomotiva tum membra vel
corpus de loco in locum transfert. Phantasia interim non
ligatur, sed continuo exercetur labore. Aut si interdum in
somno non operatur, non id sit ideò, quod ejus affectio somnus sit,
sed quia à sensibus externis nihil ad illam defertur, circa quod
versari posset, dicente Magno Sennerto Epitome Natural. Scient.
L. VII. c. 9. Appetitus quoque nunquam fatiatur, sed profe-
quitur incessanter, si quid ipsi grati à Phantasiâ oblatum. Ani-
mæ Vegetativæ potentiæ item fortiores tūm & expeditiores
sunt. Nutritur corpus in somno feliciter, dum agglutinatio
ibi & assimilatio melius peragipotest. Cum animali faculta-
te quiescente naturalis validius agat. Hinc glis de se apud
Martialem Lib. XIII. Epigr. 56.

Tota mihi dormitur hiems, & pingvior illo

Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Augmentatio itidem adest. Unde infantes, qui nihil fermè
præter somnum habent, tamen in eo augentur maximè. Ge-
neratrix quoque tūm non ociosa est omnimodis. Animæ
Rationalis primariæ Facultates, Intellectus, & Voluntas, et-
iam ibi operas peragunt suas: nam ad secundarias quod fa-
cit, Risum & Sermonem, ex organicæ sunt & ita musculorum
ac aliorum membrorum ope haur adspernandâ egent. Pa-
tet hinc, quid in sequenti Scaligeri discursu probes, quid im-
probes. Exercit. CCLXXXIX: sic ait: Somnum Aristoteles ita
definit, ἡρεμία πρὸς αἰσθητικῶν, id est, cordis. Galenus irridet
hoc

hoc futili, ut plerūq; alia Aristotelica, insultatione. Nunquam, inquit, cor cessat. Ita sophisticè procedit à parte ad totum, aut aliam ad partem. In corde namq; multa sunt principia. *Primarium est, τὸ ζῶντιον: secundum illud, τὸ κινητικόν.* Hæc neq; unquam cessant, neq; somno impediuntur & intercipiuntur, neq; sunt τὰ πρῶτα αἰσθητικὰ, tametsi sunt τὰ πρῶτα αἰσθητικὰ; Est igitur somnus quies primi αἰσθητικῆς αἰσθητικῆς. Non enim bonus Metaphysicus fuit Galenus: fortasse verò nec bonus, nec non bonus, nec quidquam illius Sapientie: quæ propter rerum nobilitatem, cognitionis difficultatem à paucis recepta, apud multos calumnie propior est. Itaque non illæ in somno cessant facultates, sed alie operosiores, atque posteriores, τὰ αἰσθητικὰ, τὸ κινητικόν, τὰ γεννητικόν. Transeat, quod bonum Galenum ob Metaphysicæ ignorantiam tam adunconaso suspendit. Ob cuius cognitionem ipse scilicet post mediam noctem cœnæ inquit rationem, ut hisce palleceret disputationibus, quod aliàs ut vulgò minus vendibile sapientibus calo propioribus vindicat Exere. VI. 12. Alios qui præ se temnit, pro decore quod captat, dedecus reportat. Falsum est, quod pro maximi Sententiæ Præceptoris Cor facit πρῶτον αἰσθητικόν. A cerebro pendent nervi spirituum animalium lateres, & ibi scaturigines suas sumunt, ac quasi ex fonte per canales in singulas corporis partes derivantur. Hinc cerebro affecto, oppletisq; ventriculis, intercipitur sensus ac motus. Motus cordis perpetuus naturalis est, nec in potestate nostrâ, non animalis, ut ille quem nervi dant; adeoque somni sedem nec infert, nec aufert. Falsum & hoc, quod τὸ κινητικόν in somno cessare dicit. Primum propria vineta cædit. Nam paulò antè dixerat: *Prætorum animi supplicis afficiuntur, per insomnia. Bonorum atq; sapientum veritatis investigatione, laudabilium officiorum functione, divina mentes sunt, per insomnia.* Deinde Experientie obloquitur. Zanardus scribit. *De Universo parvo mixto Homine Quest. XIV. p. 98. Dico etiam in somniis Intellectum se ad Phantasiam convertere, & species materiales phantasiatas ex eâ elicere, & sic etiam illustratas recipere & discurrere, quia sensus interni in somno non sunt ligati nisi quoad*

6
acquisitionem novarum specierum, at respectu jam receptarum o-
perari possunt. Hoc enim mirabile in me cognovi, quod cum non
sim in componendis carminibus multum peritu (verum fateor)
neq; in Græcâ Hebræaq; linguâ, in somnio currenti discursu carmi-
na pulcherrima Latina & vulgaria formaverim, & terminos antè
dictarum linguarum cognoverim, ut manè expertus sum; concio-
nesq; ordinatas ornatas & pulchriores in somno confecerim, quàm
in vigiliâ, & quæ in vigiliâ cum multo labore non penetravi, in so-
mnio in promptu habui, & pluries hæc mihi acciderunt, quæ sine ope
intellectus fieri non possunt. Demus hîc indulgisse genio suo
Monachum plus justo, & imposuisse aliquid Lectoris hume-
ris, cui agrè ferendo sint. Nam cui facillè persuaseris, idio-
tam artes linguasq; somniare posse? Qui de die Græca & He-
bræa non novit, citra dubium nec in nocte eadem condiscet.
Repetitur in somno tantum, quod per vigiliam acquiritur,
nec agit quidquam ultra vires suas. Hoc tamen inficias
eundem non est, intellectum somnio quandoque immiscere
se. Non premitur ibi anima negotiorum mole, non distra-
hitur cutis, non aestuat affectibus, sed sui compos exercet se
masculè versûs faciendo, opponendo, respondendo, & unum
ex altero eiiciendo. Hinc Lipsii ista suadela non sine laude,
non sine fruge; *Perutile futurum, Ciceronem legi quotidie & re-
legi vespertinis præsertim horis, & si oportunitas feret sub ipsum so-
mni tempus. Mens tunc nescio quomodo melius arripit, retinet,
& concoquit per quietem. Tenta, reperies in levi monito non leve
momentum, Instit. Epist. cap. XI.* Et Exemplum illud Acade-
mici cujusdam sat notabile: qui cum versûs vigilans exple-
renequivisset, noctu surrexit, pluteum aperuit, scripsit, sæpè
altâ voce quod scripserat relegit, malè omnium ignarissimus,
& pridianâ sollicitudine adhuc laborans, ad suum libitum
chartas impletas, idq; suâ manu vidit, attonitus ob id, & du-
bitabundus, arti an albi genii opus esset, apud Henric. ab
Heer *Observat. Medic. oppidò rarar. 2.* Cum porrò τὸ γεννητικὸν
quoq; in somno cessare facit, audit meritò, quòd Cardano an-
tè objectaverat: *In hoc somno Scaliger, perfectò dormitabas, cum*
tân

tam subtiliter loquereris, ut ad somnum animæ vegetativæ a-
ctiones referres. Sensuum operationes quiescunt hic, non
facultatis procreatrix, uti nec nutritis, nec auctricis. Ela-
boratur in somno semen æquè ac de die, quin & effunditur in-
terdum. Hinc ἐξ ὀνειρογῆσις famosi in Divino Codice. Et
si famæ fidendum, imprægnatæ nonnunquam fuere dormi-
entes ac ignaræ. Atque hæc quidem ad hunc modum habent,
cum de Naturâ rectè & perfectè constitutâ res ac sermo no-
bis. Datur autem etiam persæpè Somnus aliquis imperfe-
ctior, ubi jactamus in lecto nos subinde; nec ad quietem ex
toto componi, nec tamen extoto etiam vigilare dici possu-
mus. Ita jejunis ac famelicis somnus nullus, aut interfu-
ptus & parcus. Qui cogitabundi, & vel tristitiâ vel lætitiâ
aliquâ inopinâ perciti lecto se dant, ægè dormiunt. Hinc
Rudolfus II. gloriosissimæ memoriæ Imperator paulò ante
obitum fatebatur, se, cum ipsum ex Hispaniis, ubi tum prin-
ceps juventutis degebat, Parens Imperator in Patriam Ger-
maniam per Legatum revocasset, tanto gaudio obrutum fuis-
se, ut totâ illâ nocte somnum non viderit oculis suis. Ita
qui sub vesperam plus nimio crapulâ opplevère se, ut vino
invitavère largiùs, inquietas agunt noctes. Hic namque fit,
quod in lucernis contingit, in quas si præter modum infunde-
ris oleum, restinguitur nrox lumen. Quamvis enim halitûs
adscendentes vim quandam ὑπνωτικὴν ac ναρκοτικὴν obti-
neant, unde & ad somnum inclinamur, & oculis subindè con-
nivemus, quia tamen multæ confusæ ac absurdæ imagines.
Phantasiæ objiciuntur, fit hinc, ut dormire non valeamus, et-
si palpebras claudere omni ope conemur. Hic ergò tantum
abest, ut sensus & motus quiescat, ut exserat se potius nimio-
perè, spiritibus animalibus perpetuò agitatæ & concitatæ.
Quanquam ne in perfecto quidem Somno animales spiritûs
in totum ociantur ac obtorpescunt, sed omninò adhuc sensi-
bilia cum primis excellentia percipiunt. Non enim omnis
eorum in organa influxus denegatur, sed sufficiens. Hinc
sentimus dormientes, cum sodicamur aut pungimur, audi-
mus

mus fortius obstrepentes cachinnos ac clamores, bombat-
darum item dislosiones, videmus illatas faces, olfacimus fœ-
tores intolerabiliore. Graphicè Galenus l. 2. de motu muscu-
lor. c. 4. Temeraria sententia est, quæ asserit animam dormientium
quiescere, nisi cessationem hanc non perfectam quietem, sed quasi in-
termissionem quandam vigoris dicant: nam si hoc dicunt, benè di-
cunt, ipsiq; assentimur. Non enim sensus expertes penitus sunt
dormientes, sed difficulter sentientes: Cur enim vocantes subaudi-
unt, & lumine importato exsurgunt, & tangentes sentiunt? Ita Dn.
D. Sennertus Institut. Medic. l. 2. part. 3. s. 2. c. 4. p. 407. Vim mo-
vendi quod attinet, et si in somno illam deesse aliquis existimare pos-
set, quod in somno non solum sensus quiescunt, sed & animalis motus
cessat, atq; primi sensus quies somnus est, spiritusque in organis sen-
sus & motus ad sensum & motum sufficientes non adsunt: tamen
id non ita accipiendum est, quasi spiritibus animalibus planè organa
illa careant, sed certum est, superesse adhuc aliquos in iis qui ad sen-
sibilia vehementiora percipienda, & motus etiam qui per somnum
imperantur, edendos sufficiunt: Item P. Salius Diversus de
affect. part. c. 18. Servantur in dormientibus plurimum musculo-
rum motus, clarè apparet in his, qui excretionibus superfluitatum
retinendis, & qui mandibula inferioris retractioni, & qui respira-
tioni, & qui aliis hujuscemodi functionibus destinati sunt, sed clariùs
in his, à quibus purè & simpliciter voluntarii motus dependent, quo-
rum ratione dormientes sæpè brachia & crura agitantes de loco ad
locum moventur. Servantur etiam in multis sensus exteriores.
Hinc aliqui vocem cantantis galli vel latrantis canis dormientes au-
diunt & dignoscunt, & lumen presentis lucerna verè agnoscunt, sa-
poresq; rei gustum afficientis dijudicant, foetentiq; ac malè olentia
discernunt: aliqui autem clarè loquuntur, altà voce quandoq;
clamant, quidam etiam ad interrogata respondent, cujus merito non-
nulli propria secreta in somnis aperuerunt. Utut ergò Definitio
superior Somni perfecti sit; tamen uti Sensus ipsi, sic & hæc
sensus Affectio moderata tantum objecta postulat, non ex-
cellentia. Quæ tam clara quidem & vera sunt, ut si secus
fiat, & ne vehementiora quidem sensibilia anima sentiat,
præter

12
præter naturam aliquid accidat, & stupor detur, non sopor:
Qualis in Ecstatis contingit, qui quasi omni mente à cor-
pore abstractâ tam profundo somno detinentur, ut nullum
sensûs ac motûs indicium præ se ferant, ac licet variis modis
vexati quassatiq; aut aciculis compuncti, non excitantur
tamen ad tempus sat longum. Qui cum varia & absurda spe-
ctra in somno Phantasiæ obversantia habeant, fit hinc, quia
reliquis sensibus feriantibus Imaginatio circa ea magis occu-
pata & defixa, tenetur, ut postquam evigilârunt, ob fortem
illam impressionem verè sibi contigisse putent ac narrent, quid-
quid somniârunt, & Dei ac Angelorum choris immistos se
fuisse, ac nescio quæ inde mandata ad homines accepisse, va-
nè gloriantur. Sed aliud ex alio occurrit, & velut varam vi-
bia sequitur, ac ansam ansa trahit, ita & hic sub manibus cre-
scit labor, De Noctambulis dissertandum nobis erat. Quia
verò actiones istorum videbantur adversari Naturæ ac De-
scriptioni Somni Physicæ, in hanc primò paulò altior cura in-
sumenda erat, eaq; tum rationibus, tum autoritatibus clarissi-
mis tota exhaurienda. Fecimus ergò hoc, & excurrimus ferè
ultrâ quàm par erat. Nihil rescamus tamen, sed quia me-
ditatio hæc omnem materiam nostram abundè juvat & illu-
strat, ac ab se quoq; cum summâ jucunditate parem fovet uti-
litatem, quod scriptum est, scriptum sit. Non sunt longa, qui-
bus nil est quod demere possis. Nempe cum Errones nostri
nocturni hinc inde circumcursitant, imperfecto gaudent So-
mno, & ex parte dormiunt, ex parte vigilant. Et in lecto cum
cubant, ac perfectum etiam somnum carpunt, non tamen o-
mnem propterea sensum, nec omnem motum cum veste de-
posuere; sed superest adhuc aliquid spirituum animalium in
organis, quod à Phantasiâ cieri potest, animâ sensim majo-
rem spirituum copiam membris subministrante. Unde Ari-
stoteles ipse *L. De Somno & vigiliâ cap. 2. extr.* κινῶνται δ' ἐνίοις
καθ' ἄδοντες καὶ πῶσι πολλά ἐξηννομήα, εὐδρτοι ἀνδ Φαν-
τασίμα] & καὶ αἰθρή(εὼς πνθ. τὸ γδ ἐνύπνιον ὅπιν αἰθρημα-
τρεόποντινα. h. e. *Sunt etiam, qui dormientes resurgunt, & plerâq;*

B

agunt

agunt, qualia cum vigilant solent: quod tamen sine visione aliquâ aut sensu contingere non potest: nam somnium quodammodo sensum est. Immorabimur ergo operæ huic ulterius, & quod Disputatione superiori ingressi sumus pelagus, emetiri nunc annitemur divino ferente vento.

§. I.

CAusas Generales Noctambulationis vidimus, Animam & Phantasiam. Anima namq; Sensitiva, & quæ vicem ejus in Homine obit, Rationalis, Phantasie fortioris operæ hunc effectum edit. Cum Phantasiam conjungitur Appetitus fortior ac vehemens, qui Locomotivam paulò agiliorem ad aliquid agendum exstimulat. Appetitus illa vehementia à spirituum dispositione singulari pendet, quam vapores inducunt misti spiritibus, obtinentes vim sensus ligandi, & simul somnia multa, eaque clara objiciendi. Ut enim in sanis ratione dispositionis spirituum principes actiones variant: ita etiam somniantes rerum imagines in memoriâ asservatas alii clariùs, alii obscuriùs perspiciunt, & non solum imagines, in memoriâ asservatas alii clariùs, alii obscuriùs perspiciunt, & non solum imagines, sed & appetitus hinc variatur. Nunc SPECIALES Causæ ventilandæ sunt. Eas voco, quæ non in omnibus talismodi affectibus concurrunt, sed aliquando tantum. Et pressius loquendo, Occasiones tutiùs, quàm veras Causas dixeris Geminas eas summam constituo, Efficientem & Materialem. Nam *Formam* quidem exhibet nobis mistio illa ex somno & vigiliâ, variæque Noctambulorum & admirandæ actiones. *Finis* est, rei cupitæ consecutio. Etsi enim temeritas ibi videtur inconsiderata, absque fine suscepta actio; tamen nec temerarii omnes nullam finis rationem habent. Quin potiùs ex hoc ipso ob finem egisse dicendi sunt, quia eo, consilio non meliùs habito, frustrati sunt. Nemo aberrasse putatur, nisi qui jam antè in scopum certum jacula misit. Etiam ille victoriam ab hoste sibi proposuit, qui dum eam minùs rectè persequitur, non consequitur. Hinc Libavius *part. 2. Singular. pag. 261. Noctambulos concitat oblata ima.*

12
imago, indeq; instigata prosequendi fugiendive facultas, que finis gratia motum instituit: sed cum capto animo, & deliberatione judicioq; herente, non perpendant liquidò, sitne res talis, quam prosequi debeas aut fugere, idq; tali modo & tempore, temeraria est ambulatio. Interdum & assequuntur sinem, sed nihilominus temeritate, ut declarat Historia ejus, qui picas expugnato nido secum detulit.

§. 2. Sed hæ Causæ non controversæ sunt adeò, generaliter potius se habent. Inter EFFICIENTES autem non adducam AEREM humidum, pluviosum ac turbidum, qui Sennerto teste *Præct. Medic. L. 1. part. 2. c. 19. p. 457.* facilius ad hoc malum dispositos corripit, quam serenus: præsertim cum somno hoc oppressus interdum multum peregrinatus fuerit, vel noctu aërem liberiùs majoriq; noxâ ad cubiculum & lectum usque admiserit. Cujus rei Exemplum Horstii: Noctambulo circa plenilunium & valdè intempestâ nocte præbuit, *cap. 7. pag. 57.* Nec inquiram laboriosius in CIBUM & POTUM, qui ad hanc affectionem possit hominem disponere. Quo de sic Horstius *l. c. Causæ hujus morbi externæ sunt cibi potusq;, vel somnum profundiorum adjuvantes, vel calorem fervoremq; cordis ac hepatis adaugentes. Prioris generis sunt, juscula cerevisiæ multò crebriora, semina papaveris albi, juscula ex his, lactuca vesperi in cœnâ largiùs sumta, vinum novum, dulce, crassum. Posterioris generis sunt cibi multi assati, iùq; justo vehementiùs sal, aromata, ovi vitellum sine albugine, vina generosa, imprimisq; malvaticum. Et Dn. D. Sennertus *Præct. Medic. l. d. Causæ externæ, evidentes & procatartice sunt, quæ vel ejusmodi humores & vapores (qui talem vim obtinent, qualem illa narcotica, quæ sensus ligant, & simul somnia plurima, eaq; clara excitant) subministrant, vel eos commovent, quales sunt fabæ & aliæ legumina, lactuca, semen papaveris, vinum recens dulce vel aliud generosum, caput replens. Et deinde in Diætâ pag. 459. præcipit, ut cibi sint boni succi, non flatulenti, & qui somnia turbulenta pariunt, ut fabæ, lentæ & similia. Neque MORBUM afferam: licet in genere Horstius *cap. 6. pag. 53.* ad Symptomata depravatæ actionis animalis**

hunc affectum referat, qui sequatur insalubrem ac præternaturalem corporis constitutionem, aut etiam morbosam. Quamvis enim interdum ex cerebri intemperie & morbosâ constitutione, melancholiâ, phrenesi, lycanthropiâ, galeanthropiâ, affectio talis ortum habere possit: tamen hoc nec semper fit, nec fit, quâ febricitant aliqui aut alio morbo laborant, sed quâ in morbo ejusvè causâ similiter circa phantasiam motûsq; animalis instrumenta illi obædientia disponuntur, dicente Livavio pag. 258. Hinc etiam solâ castigatione Præceptoris, vel objurgatione severâ, absq; omni medicinâ potest corrigi affectus hic. Sicut Horstius cap. 1. pag. 4. de tribus Schleinitis, Nobilibus Misnicis, memorat, cùm unus eorum Lipsiæ literis operam navans, dum noctu ambulat, ac tegmina ædium perreptat, cecidisset & crus fregisset, Præceptorem eorum hoc periculo adductum alios fratres in somno ambulantes & culmina ædium scandentes noctu observâsse, ac eos reduces ad lectum expectâsse, atq; cùm in tuto essent, virgis tamdiu cecidisse, donec expergerent spontè, quod cùm bis ter vè factum esset, nunquam ampliùs in somno eos ambulavisse. Unde rectiùs Dn. Sennertus Instit. Medic. p. 409. *Motus ille Phantasiæ fortior non semper ab eadem causâ proficiscitur, neq; forsan omnes aliquam morbificam dispositionem ad hunc affectum habent.* Et Libavius p. 257. *Nyctobatarum affectionem quidam morbis annumerant, quidam Symptomatibus, ut sic quiddam præter naturam, cùm non videantur naturaliter ambulare eo tempore quo aliàs quiescere soliti sunt, idq; dormientes. Mibi videtur non uni generi accenseri totum posse. Exsurgit enim aliàs ex causarum naturalium cõspiciæ sine omni morbificâ dispositione, planè eodem modo ut solent occurrere in somno.*

Causidicis lites, aurigæ somnia currus.

Item Salius Diverfus c. l. *Quos curabimus, non quia hæ affectiones sunt morbi, vel quia ab his malum aliquod simpliciter imminet, sed quia hi dormiendo possent ex insomniis ad præcipitia deduci, vel ab aliqua peragenda concitari: ex quibus vel mortem incautè ac inconsideratè sibi consciscerent vel aliis inferrent: cujus ratione,*

non

1
non autem quia ex insomniis aut ex somno ladantur, hujusmodi
patientes consulere Medicos, ad tales somnos prohibendos & ad tri-
lia insomnia profliganda, consuevere. Tres ergo tantum Causas
in presenti colligam, quæ præ cæteris momenti cujusdam vi-
dentur & indaginis: Lunam videlicet, Ebrietatem, & Actio-
nes diurnas.

§. 3. LUNA est Humorū Domina, eosq; ab consensum
suum naturalem cum Aquâ sursum ciet, ac in corpore nostro
variè movet concitatq; Macrobius scribit L. 7. Saturnal. c. 16.
*Si quis diu sub Lunâ somno se dederit, agrè excitatur, & proximus
fit in sano pondere pressus humoris, qui in omne ejus corpus diffusus
atq; dispersus est proprietate lunari, quæ ut corpus infundat, omne s
ejus aperit & laxat meatûs. Hinc est, quod Diana, quæ Luna est,
ægræ dicitur, quasi ægræ, hoc est, aërem secans.* Eam er-
gò hîc quoque aliquando concurrere, & humores diversimo-
dè commovere ac alterare, quò sequaciores evadant ad Phan-
tasîæ & Locomotivæ imperium, haut absolum prorsûs. In-
sinauat id non obscure Horstius cap. 3. p. 23. ajens: *Luna sine du-
bio hisce aliquid copiosioris humiditatis in intimis cerebri & ambi-
tu corporis confert, ut & gravius somno opprimantur, & cum multa
sentiant peragantq;, tamen in ambitu quidam muscoli, scilicet hi,
qui claudunt oculos, nimis humectati ferientur.* Clariùs autem
& fidentiùs D. Sennertus Practic. p. 457. Inprimis hoc facit Luna,
cujus motu ut Epilepsia, ita etiam hoc malum commoveri Expe-
rientia docet. Et præcipuè radii Lunares, si dormientis capiti in-
cidant, hoc malum excitare solent. Qui idem deinde in Diætâ
p. 459. præcipit, ut noctu radii Lunæ vitentur, & ne ii ad caput
dormientis pertingant, caveatur. At nisi Universales illæ
Causæ, Anima nimirum & Phantasia cum Appetitivâ & Lo-
comotivâ junctæ, simul adfuerint, frustra est omnis Luna cum
omni suâ ope, nec potest membrum totumvè corpus loco
unquam movere. Dispositivè aliquid hic facit, non effectivè.

§. 4. EBRIETATI paulò potiores partes deferimus: ut &
affinem eam maximè dicamus Nostro huic Affectui, & unum
alteri mutuam illustrationis operam non infeliciter com-

modare putemus. Prout & ipsa Dei vox ebrios cum dormi-
entibus componit, cum Salomon paternè monet: *Ne intuea-
ris vinum quando flavescit: cum splenduerit in vitro color ejus:
ingreditur blandè, & in novissimo mordebit ut coluber, & sicut
regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extranea: & cor
tuum loquetur perversa, & eris SICUT DORMIENS in
medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo, & dices: ver-
beraverunt me, sed non dolui: traxerunt me & ego non sensi. Quo-
modo evigilabo, & rursus vina reperiam? Proverb. XXIII. 31 seqq.*
Grande & exitiale homini malum Ebrietas est, quæ non cor-
pus tantum omne enervat, sed & animam ipsum obfuscat &
frangit, ut sui compos & dominus non sit, qui vel Lybiam re-
motis Gadibus junxit. Furor brevis est; & è potestate suâ
mense exit, cum hæc intrat. Seneca id testatur *Epist. XXIIII.*
*ita loquens: Dic quàm turpe sit, sibi ingerere, quàm capiat sto-
machus, & stomachi sui non nosse mensuram? Quàm multa ebrii
faciunt, quibus sobrii erubescunt? nihil aliud esse ebrietatem, quàm
voluntariam insaniam. Extende in plures dies illum ebrii habi-
tum, nunquid de furioso dubitabis? nunc quoq; non est minor, sed
brevior. Ab se quidem vinum damni nihil dat mortalibus,
Creatura Dei nobilissima, sed commoda potius infinita. Læ-
tificat cor hominis, curas extinguit, excitat spiritus, fovet ca-
lidum innatum, membra omnia agilia & alacriora reddit.
Narratur & prisca Catonis sæpè mero caluisse virtus, Horatius
Lib. III. Od. XXI. Et poëtis, quos hinc idem Bacchi clientes vo-
cat Lib. II. Epist. 2. quam gratiam faciat, ingenium acuendo
& animum torpescentem excitando, ipsi gratis dudum de-
cantavere linguis. Ut hac propter Plautinus ille meritò al-
teri regefferit, qui ignosci sibi petebat, quod animi impos vi-
ni vitio fecisset:*

*Non places, in mutum culpam confers, quod nequit loqui.
Nam vinum, si fabulari posset, se defenderet.
Non vinum hominibus moderari, sed vino homines solent,*

Qui

*Qui quidem prohi sunt: verum qui improbus est, aquam
si bibit,*

*Sive adeò caret temeto, tamen ab ingenio est improbus:
Trunculento IV. 3.*

At cum plus iusto ingurgitatur, adeò, ut in vitis ingesta visceribus per os reddere & vinum omne vomitu remetiri opus sit, quod in fœminis Romanis acriter perstringit Seneca L. IV. Nat. qq. c. 13. tum optimæ Matris pessima nascitur Filia. In vino nempe, ut & cerevisiâ aliquâ, igniculi multi, & spiritus potentes valde sunt. Qui cum copiosiores è ventriculo ad cerebrum adscendunt, spiritus ibi animales turbant & circumagunt vehementer, ac inflammam ita, ut incalescant plus satis. Cum spiritus ita concaluere, tum pauper cornua sumit, tum iurgia & lites, mistaq; verbis verbera ultrò citròque reciprocantur, jamque faces & saxa volant, furor arma ministrat. Ovidius de Centauris canit XII. Metamorphos. Fab. V.

*Vina dabant animos, & primâ pocula pugna
Missa volant, fragilesq; cadi, curvig; lebetes,
Res epulis quondam, nunc bello & cadibus apta.*

Iustâ Horatii detestatione, qui Lib. 1. Carm. Od. XXVII. ita: *Natis in usum letitiæ scyphâ Pugnare, Thracum est.* Quando ergo corpus sic obrutum est, & vino somnoque sepultum, quando spiritus ita turbant & tumultuantur in cerebro, tum mens ipsa quoq; & ratiocinatio à Potentibus vicinis oppressa succumbis, & vix non sede suâ pellitur. Hinc sopito ita Intellectu, & Phantasiâ miris ac diris modis paratragœdiante, Appetitus solus rerum potitur, & ad cæcum ejus dictamen quidvis ineptiarum ac intemperierum genus peragitur. Ubi regnat ebrietas, ratio exsultat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur. Docent id Agrigentini illi Adolescentes apud Timæum Locrum. Qui probè madidi Madusæ cum essent, in navi sibi versari videbantur, cui jam-jam præsentissimum naufragium immineret. Magnitudine periculi territi, mensas hinc omnes & utensilia domestica per
fene.

fenestras in plateam projiciunt, tanquam exoneraturi cymbam mercibus superfluis. Vocati ob eam prodigalitem ad Senatum, quæsi coram Diis & Tritonibus in genua procidunt, ac ingentes ipsis gratias relaturi pollicentur, si benignitate ipsorum ab instanti morte liberarentur. Heu pestilentissimum Circes toxicum, quod non hominem facit ex homine desubito, & tam supinam sui ipsius ignorantiam ac oblivionem valet inducere. Hæc eadem ergo causa Noctambulationis quoque sæpenumero *ωγνάσθη* & irritatrix est. Comprobat id Libavius p. 257. *In aliquibus affectio quedam & constitutio momentanea est, præsertim naturâ proclivi: ut videmus in his, qui cibis vel posu immoderatiore usi cerebrum fumis oppleverunt, & aliàs etiam fuerunt ardeliones, curiosi rixatores, anxii &c. Hæc corrigitur sobrietate, & victus regimine diligentiore.* Qui idem pag. 266. hoc exemplum habet: *Est oppidum non incelebre, in quo quidam benè potus domum petiturus absq; lucernâ & cornite, ad puteum accessit atq; in eum exsulis vestibis & calceis descendit, delapsusq; suffocatus est. Nimirum hic solus cum esset, victus ebrietate semisopitus ambulavit, atq; errante phantasiâ deceptusq; judicio illud malum incurrit.* Et de Juvente illo Poëtos Professore Henricus ab Heer supra recensuerat, eum sub annum ætatis 45. somnambulare desiisse, nec unquam sopitum lecto se movisse, nisi prius vino se nimis replevisset. Cum itaque vaporibus halitiosis ac spirituosus cerebrum adhuc abundat, nil mirum est, quod imaginatio à ratione dirigi non possit, sed sibi relicta quidvis pro quovis arripiat, & veluti navis amisso gubernatore hinc inde fluctuet. Idem plana & in Ebriis contingit, qui vestibis exsulis, nescio quibus in locis se interdum quieti dant, & cum in cubiculo se versari existiment ac lectum conscendere, per fenestram in plateas præcipites ruunt, sandalia & calceos pro matulâ arripiunt, lectum quo semel egressi, invenire denuò nequeunt, ac excitati tamen, aut manè, nihil eorum quæ peregerunt, recordantur: cohorrescentes sæpè toto corpore, cum quas tragœdias ac temperies excitârint, alios memorare audiunt.

S. 5.

14
§. 5. ACTIONES tandem DIURNÆ in Somno per somnia recurrentes excitare item possunt passionem hanc. Duplicia sunt Somnia Naturalia, quæ Divinis ac Diabolicis contradiſtinguuntur. Quædam sunt *Naturalia in specie dicta*, quæ ex humoribus, temperamento, ac similibus causis in corpore latentibus oriuntur, & pro ratione constitutionis cordis, ventriculi, epatis, membrorum generationis, totiusque animalis efformantur. Ita Galenus refert *Libro De præſagiis Somniorum*, fuisse quendam, qui cum somniasset, alterum crus sibi factum lapideum, mox eâ corporis parte Paralyticus exstiterit. Ita Sanguinei nuptiis, lusibus ac choreis dormientes interfunt; Cholericis sæpè volare sibi videntur; Phlegmatici per aquas incedunt, & oneribus fugam gressumque tardantibus gravantur; Melancholici cum tenebris, spectris & demonibus digladiantur. Phthisicus quidam cum somniasset se in sanguine suo natare, & Medici de redundantia sanguinis somnium interpretantes, venam incidissent, cum sanguine animam exhalavit. Humoribus ibi potius redundantia erat, quam sanguinis, & aqua forsan in pericardio contenta somnium illud causabatur, quam pondus duarum unciarum æquavisse sæpè in iis, qui ex ulcere pulmonum perierunt, testis *ἀυτόπτης* est Excellentissimus Academiae nostræ Anatomicus, nunc Rector Magnificus, DN. D. SCHNEIDERUS, *Disp. De Phthisi, Thes. VI.* Alius stare sibi videbatur in cisternâ sanguinis plenâ, idque sanguinis evacuatione egebat. Quidam cum somniant, utinam reddituros se, aut alvum laxaturos, reverâ in lectum postulata naturæ deponunt. Alii semine turgidi primum lascis ac venereis phantasmatis titillantur, tum & semen effundunt ipsum. Hinc *ἐξεννοεῖσθοντες*. Nam materia in corpore jam præstò tum est, quam Phantasia persentiscens secundum eam tanquam Exemplar suas pingit & fingit imagines. Quia dormientes non distrahuntur varietate sensuum, etiam levis humorum motus facilius & evidentiùs in somno præcipitur, quam in vigiliâ. Inde ægroantium somnia accuratè Medici observant, tanquam ad

C

cau-

causam & speciem morbi dijudicandam plurimum conducentia. Quædam verò sunt *Animalia*, quæ ex speciebus & imaginibus illis proficiuntur, quas Phantasia interdum ex operatione sensuum externorum conceptas sibi superstites tenet, & ex iis novas subinde architectatur. Quia enim tum imagines in spiritibus animales recens impressæ sunt, ideo fixius hærent, & per operationem imaginationis nocturnæ facilius renovantur. Ita ut plurimum earum rerum de nocte subit recordatio, quarum de die operatio. Unde Piscator ille apud Theocritum:

Πᾶσα κούων ἀρετῆς παντεύειαι, ἰχθυῶν κ' ἰγῶν

Somnia sunt canibus panes, mihi somnia pisces.

Et Claudianus *Prefat. Lib. 3. de Raptu Proserpine*:

Omnia quæ sensu voluntur vota diurno,

Tempore nocturno reddit amica quies.

Venator defessa tono cùm membra reponit,

Mens tamen ad silvas & sua lustra redit.

Judicibus lites, aurigæ somnia currus,

Vanaque nocturnis metacavetur equis,

Furto gaudet amans, permutat navita merces,

Et vigil elapsas querit avarus opes.

§. 6. Atque his animalibus Somniis occupatos complures Noctambulose valuisse, certo certius est. Levinus Lemnius dicit *de occ. nat. mirac. l. 2. c. 5. ardeliones illos, hoc est, homines inquietos ac jactabundos, qui omnibus se negotiis ingerunt, atque altrò citròque discursant, mirisque utuntur gestibus, in somno exsilere, ac plausum strepitumque excitare ob simulacra quæ sensui occurrunt, quæque voluntati atque actionibus diurnis correspondent.* Pertinet huc Juvenis ille Henrici ab Heer, qui carmina quorum hiatum vigilans explere non poterat, semisomnis elaborabat. Alter item Salii, qui cothurnis & calcaribus super fenestram equitabat, & ejusdem artifex, qui nullis indumentis amictus apothecam propriam adibat, eamque clavibus aperiebat. Li-
bavius

1
bavibus p. 255. de illo, qui noctu picarum nidum expugnaverat,
& pullos indusio circumvolutos secum detulerat, haut præ-
ter rem conjectatur, quod impulerit eum cura venatoria, cui
interdium intentus sæpè fuerit. Schenkius l. 1. Obs. 127. ex Adr.
Alemanno scribit: *A viris fide dignis accepimus pharmacopo-
lam famulum fuisse, qui singulis noctibus insciens surgebat, ut ar-
tem gladiatoriam exerceret. Alterum qui cum circa mediam
officinam adornasset, omnibus apertis immemorem repetiisse lectum.
Imo referunt quendam Parisiis gladio cinctum Sequanam fluvium
tranasse, eumq; interfecisse, quem vigilans interficere proposuerat, ac
post patratum scelus domum rediisse.* Sic ipsimet sæpè semisõ-
piti ad actiones consurgimus decepti horâ noctis, dum pu-
tamus diem imminere, aut instare horam nobis præfixam,
neque tamen, occupati vaporibus & somno, certò judicare
possumus, & denuò obdormimus. Spectat huc lepida illa
narratiuncula Libavii de famula quâdam p. 259. *Novi quæ cum
somno occupata in balneo totam peregisset noctem, subiretq; phanta-
siâ bubulcum cantu exposcere pecora, repente ex labro pedibus jam
tumefactis & vix officium facientibus nuda prosiliret, caputq; per
fenestram obviam effractis impetuosè vitris exserens tunc primùm
penitus evigilaret.* Et ista de proditore quodam intempesti-
vo p. 267. *Erat quidam alicubi de more solitus captare hominum
sermone & acta, eaq; postea ad loci judicem deferre. Hic cum as-
sident plena convivatorum mensæ, jamq; probè potus inciperet conni-
vere somno, verba proditoria sonabat, audientibus reliquis, quasi
judex præstò esset admonens aurem dictis. Ita eum deceperat phan-
tasia & consuetudo prodendi: sed illum quidam cerebrosus & im-
portunus cum scabello correptum medio extendit pavimento, jubens
suo loco proditoriam exerceer.* Quæ in hominibus quidem hoc
minùs mira esse debent, cum & canes ipsos videamus dormi-
entes pedes aliquando movere, quin & vocem latratui simi-
lem non plenam tamen, sed veluti suppressum edere, dum vi-
delicet somniant, se feras insectari, aut aliud quid diurnarum
operarum peragere.

§. 8. Nunc ad MATERIAM IN QVA, seu SUBJECTUM Affe-
ctio-

tionis hujus conferimus pedem. Serram hinc reciprocant
Autores, & in quam corporis constitutionem seu complexio-
nem ea apprimè cadat, admodum disputant. Quidam Cho-
lericum Temperamentum præferunt, ob audaciam illam & te-
meritatem Noctambulorum: quidam Melancholicum, ob
fortem & pertinacem imaginationem, ac animi persuasionem.
Lemnius *l. c.* ex sanguine turgido ac spumante, tum æstuoso
fervidoque spiritu hunc motum concitati vult, siquidem ho-
mines illi sint raro laxoque corporis contextu, ac molis exi-
guæ, sed magnâ spiritûs agilitate, animoque fervido: unde
eveniat, ut si vel externis manuum pedumque articulis pre-
hendant aliquid, se librent ac fulciant, contactisque tabulatis
adhærescant. Horstius *Cap. VI. pag. 37.* tale corpus inæqualis
Complexionis facit, maximâ ex parte calidæ & siccæ, vulgò
Cholericæ dictæ, quod ferventis sanguinis atque spirituum
subtiliorum, eorumque multorum copiâ abundet, inque ætate
vel puerili, vel adolescentum, vel florenti consistat. *Cap. VII.*
intemperiem inæqualem dicit humani corporis, in quâ prin-
cipales partes scilicet cerebrum, cor & epar inæqualiter se
habeant, excessu tam magno, ut tunc homo unâ ex parte ni-
mis profundè dormiat, ex alterâ intempestivè surgat. Cere-
brum constituit frigidum & humidum, quò vapores elati su-
perius condensentur, & quidam nervi musculique repleantur,
ut in eos nihil spirituum animalium influat. Nam aliàs ob
pituitam & bilem pervigilem potius hominem effici, ac phre-
neticum magis, quàm Noctambulonem, Cor & epar autem
statuit calidum, & spiritûs ferventiores ac mobiliiores. Coelius
Rhodiginus contra *Lectio. antiquar. L. 16. c. 37.* Melancholicis
assignat hoc, quod calore largiore bilis atræ urgente, animus
moveri æquè amplius cogatur, unde exsiliant sæpè, surgantque
euntes huc illuc. Diversus item Melancholico habitui tri-
buit, quod ab omni levi imaginatione & similitudine facilè
in proprio affectu decipiantur ac constanter immorentur:
testaturque se tales affectûs in consimilibus hominibus curâsse,
in quibus etiam spirituum tenuitatem & subtilitatem in-
esse

14
esse conjecerit: cum fuerint loquaces, prompti, impigri, facile in-
scibiles, & versatilis ingenii. Eodem pacto Keckerman-
nus *Syst. Phys. Lib. III. Cap. 29.* Quibus Temperamentum est Me-
lancholicum, & præterea Cerebrum siccum, & deniq; spiritus sub-
tiles, ferventes & impetuosus, ii facile in turbulentissimum illud so-
mniarum genus incidunt, quod nocturnas deambulationes & ober-
rationes causatur. Et deinde: Homines temperamenti frigidi &
sicci, ut Melancholici, habent imaginationes profundas & fortes:
ita ut adstantes clamantes interdum etiam cogitabundus non au-
diat, & tales homines ab opinionibus conceptis agrè possunt abdu-
ci. Sed universaliter nihil certi decidi hinc potest: at ubique
à particulari fit collectio. Non negandum videtur, Melan-
cholicam quandam dispositionem hinc concurrere, & plerum-
que eos hoc malo laborare, qui ad affectionem hypochon-
driacam sunt dispositi, teste Dn. Sennerto *Pract. L. 1. pag. 457.*
Imaginatio enim in Noctambulis circa unam rem saltem oc-
cupatur; etsi in cæteris sopita quasi & ligata sit. Tamen & id
attendendum, quod Melancholici ad rem persequendam
tardiores, meticulosi & cunctatores sunt: & quod *Etiam*
sanguineis id evenire potest, occurrente materiâ gaudia, quam pu-
tant prosecutione dignam, dicente Libavio p. 262. Qui propterea
p. 258. generaliter enunciat: Quâcumq; quis sit complexione, si
causa commemorata sint, effectum sequi probabiliter dicimus:
quanquam non negamus biliosas naturas & melancholitas, certo ta-
men limite, admodum congruere. Si quidquam pronuncian-
dum hinc, in spiritibus animalibus multum momenti poni-
mus. Qui ut instrumenta animæ in ejusmodi actionibus or-
ganicis communissima sunt, ita si clariiores, vegetiores, ac ad
motus suos promptiores existant, hunc etiam effectum facil-
limè movere ac promovere possunt. Multa paucis, hoc est,
more suo, B. Sennertus *Instit. p. 408.* Ut qui spiritus habent cras-
sos ac torpidos, nec vigilantes mentis ac sensuum operationes habent
subtiles ac agiles, nec dormientes clara somnia sed confusas saltem
rerum agnoscunt imagines: ita contra qui spiritus claros habent
ac subtiles, & vigilantes ad omnes illas actiones sunt aptiores, & so-

omnia habent clariora atq; evidentiora, atq; imagines in somnis sapè
 tam clarè discernunt, ac si vigilantibus offerrentur. His si acce-
 dat fortis & intenta imaginatio, qua circa oblatas imagines fortius
 atq; intentius versatur: fit, ut etiam in somno verissima credant,
 que offeruntur, & maximè eadem effecta cupiant. Aetates quod
 concernit, observatum est, ut infantes & pueri non facilè hoc
 affectu corripuntur, ita cum senes plerumq; spontè deserere,
 humorum dispositione ad hoc malum inducendum aptà mu-
 tata; adolescentes proinde & consistentis ætatis homines eo
 solùm laborare, qui appetitum habent fortem, & affectibus
 facilè ducuntur. Atque hæ sunt Causæ istæ Speciales, quæ
 tamen Generales semper præsupponunt tanquam punctum
 unicum, à quo cæteræ omnes lineæ ad circumferentiam du-
 cuntur æqualiter.

§. 9. Tandem polliciti nostri memores, etiam QUÆSTIO-
 NES aliquas circa hanc Materiam deliberabimus.

QUÆSTIO I.

An Physici sit disputare de Noctambulis?

Resp. Disputant de Noctambulis Medici præclarè præclara
 multa. Exponunt eorum Naturam, inquirunt in Causas, ex-
 pediunt differentias, applicant curam. Ut hac propter fal-
 cem in alienam messem mittere, ac *ὡς ἐπὶ τῆ ἐνοραμύσεια πηδῶν*
 videri possimus, qui Physicis Scholis hanc vindicamus operam.
 At salva res est. Cognatæ quidem & affines sibi valdè Physica
 & Medicina sunt, non tamen eadem. Neminem fugit, nisi
 quem prima Eruditionis rudimenta, unam rem à diversis tra-
 ctari posse artificibus, absque confusione artificiorum. Sicut
 Natura non uno modo versatur circa rem unam: sic nec ars,
 Naturæ simia. Quercum vis Solis educit & firmat, aqua putre-
 facit, ignis absomit. Eidem faber abaci figuram inducit, sta-
 tuarius Mercurii, architectus tigni. Et in Scientiis cum pri-
 mis



14
mis hoc obvium. Semper aliud est Materiale, seu Ratio Quæ,
& res considerata; aliud Formale, seu Ratio Sub Quâ, & mo-
dus considerandi. Sic hoc loco agit Physicus de Noctambu-
lis, sed sub ratione *ἡρωσίας*, agit & Medicus, sub ratione
πρωΐεως. Physicus naturam & causas eorum pensulat, Me-
dicus opem affert. Cùm Physicus desit, Medicus incipit.
Non est cogitandum, quod omnia quæ à Medicis tractantur,
tota sint medica: sicut nec omnia, quæ à Theologis, Theo-
logica. Aliud Medicus, & aliud Medicina est: ut aliud
Theologus, & aliud Theologia. Non à Personâ seu subjecto,
sed à Re seu objecto pendet denominatio alicujus intrinseca.
Non quis dicat, sed quid quis dicat videndum. *Φυσιολογία* Me-
dicorum tota ex Physica est, ad eamq; per se & directè spectat.
Cùm agunt de temperamento de Calido Innato, de Spiriti-
bus, de Animæ Facultatibus & actionibus. *Παθολογία* item
ad Physicam referendâ, sed per accidens & indirectè. Cùm
agunt de Morbis Symptomatibus. Non ea duntaxat, quæ
secundum Naturam sunt, Physici versant ingenium & operam
poscunt, sed & quæ præter eam. Ubiq; opposita juxta se
posita magis elucescunt: & contrariorum eadem disciplina.
Politicus non de Rectis modo, sed & Corruptis Rebus publi-
cis agit. Quò non conservet eas solum in flore & vigore pri-
stino, sed & ab interitu aut præservet prolabendas, aut vindi-
cet prolapsas. Logicus de bono perinde ac malo Syllogismo
est sollicitus. Ethicus in virtutes æquè ac vitia inquirat. Sors
eadem Physicam versat, quæ ita nobis Corpora naturalia ex-
hibet, uti mundus illi. Nihil enim Physica aliud, quam re-
præsentatio totius Universi coram mente nostrâ est. Macro-
cosmus ibi in Microcosmo clauditur. Non autem puta ubi-
q; & illibata prosùs Naturâ est, sed & labes suas, sed & ma-
nes suos patitur. In his cum primis rebus, quæ ex diversis
constatæ principiis resolvuntur in eadem tandem fatali ne-
cessitate, & cladibus ac stragibus innumeris degunt expositæ.
Θεραπευτική demùm Medicis vindicatur in solidum. De hâc
tabulâ Physicus manum opportunè retrahit, qui contempla-
tur

914
tur tantum, non operatur. Et ita quoque nos Remedia illa
præservativa & curativa, quæ benè magno numero Horstius
Recipere jubet *Cap. II. & IX.* ne tangemus quidem. Hoc fa-
temur interibi, idque grato animo, hilari calamo, Medi-
corum vitulâ in plerisque his aratum nobis, imò arandum
fuisse. In causâ est priscorum Peripateticorum Physico-
rum ignavia dicam, an ignorantia, an supinus talium con-
temptus? Qui speculationibus ac subtilitatibus ingeniorum
indulgentes unicè, generalia mera sonabant, tonabant, quo-
rum captui non nisi divinæ ac excellentes animæ pares essent:
specialia autem omnia, tanquam vulgo ipsi scilicet promi-
scuè exposita, alto supercilio ridentes susque deque habebant.
Secus quàm Veteres, illi Sapientiæ Antistites ante Aristote-
lem, qui virilitationibus omnibus omissis Naturam ipsam
venabantur, & à fagis ac quercubus discebant plus, quàm alii
ex mille Magistris. A Medicis ergò nunc tanquam fidelibus
Thesaurariis repetenda ea sunt, quæ ad penam nostram spe-
ctant. Quod in alieno agro diu latuit, invito Domino, justè
meritoque tandem suo possessori restituitur. Neque enim
disciplinæ ac dogmata usu capi queunt, si vel maximè Jus præ-
scriptionis mille annorum quis prætendat sibi. Quod semel
hîc aberratur, in æternum non emendatur. Veritas una &
perpetua.

QUÆSTIO II.

Quo motu moveantur Noctam- buli?

Resp. Motus partium Corporis organici dividitur in Natu-
ralem & Animalem. *Naturalis* non est in potestate anima-
lis, nec excitare eum aut sedare valet cum vult, nervis etiam
& musculis non utitur, sed solo temperamento, spiritibus,
membrorum fibris. Non paret voluntati, nec sequitur sen-
sum & appetitum, sed inclinationem quandam naturalem,
per quam excitatur ad aliquid motu suo fugiendum aut pro-
sequendum. Talis est, per quem cor & arteriæ perpetuò pul-
sant,

fant, per quem expelli amat nociva materia ex cute & carne, in rigore, palpitatione, & moribus convulsivis. Talis est, per quem cerebrum movetur in sternutatione, pulmoues in tussi, stomachus in singultu, nausæ & vomitu, uterus in strangulatione. In hunc amisit voluntas imperium suum, quod restrictum valdè, non absolutum tenet. *Animalis* est in animalis potestate, potestq; ab eo excitari, cum non est, & sedari, cum est. Sequitur Sensuum & Appetitum, ac Voluntatem, & à cerebro per nervos ac musculos communicatur corpori. Dicitur alio nomine *Progressivus*. Sub dividitur in Spontaneum & Voluntarium. *Spontaneus* est effectus Animæ sensitivæ, brutis ac hominibus communis. Sequitur Appetitum Sensitivum. Primò namque objectum externum offertur, & per sensus externos ac communem à Phantasiâ receptum, quid sit, ab eâ cognoscitur. Tùm attentius & accuratius perpenditur, commodumne sit & gratum, num noxium & ingratum? Cognitionem hanc sequitur amor aut odium, seu appetitus rem gratam apprehendendi, ingratham fugiendi. Appetitum hunc in brutis statim motus sequitur, & quod ille imperavit, in effectum datur. *Voluntarius* sequitur dictamen Animæ rationalis, & in solum hominem cadit, cum electione agentem. In eo enim inter Appetitum sensitivum & motum aliquid intermedium adhuc. Menti prius offertur appetitus & operationes sensuum internorum, ut ab eâ vel approbentur, ut rectæ rationi convenientes vel reprobentur, ut disconvenientes. Si illud, statim motus sequitur. Si hoc, pugna excitetur inter Appetitum sensitivum & rationalem. Tùm trahit invitos nova vis, aliudq; cupido, mens aliud suadet. Superior tandem fit, qui valentior est, & facultati motrici motum imperat. Quæ musculos, quibus ubique prædita, contrahit, muscoli contracti tendines attrahunt, tendines attracti ossa, ossibus motis in membrum vel totum corpus de loco in locum transfertur. Mediâ quâdam viâ tum inter motum Naturalem & Animalem, tum inter Spontaneum & Voluntarium, incedit Respiratio. Quæ animalis quidem

D

non

216.
non est, cum iis prærequirat sensualem cognitionem, & sensualem appetitionem. At nec ob sensuum iudicium respiramus, nec ob affectum aliquem, sed simpliciter ex naturali necessitate. Qui tamen sit à Facultate Locomotivâ Animalis, & musculorum ope perficitur, reduci huc potest. Ita non est simpliciter respiratio in potestate animalis, nec excitatur aut sedatur ad nostrum imperium. Ipsa necessitas nos cogit respirare, cui parere qui recusat, naturam habet resistentem & contrariantem. Unde servus ille barbarus cum vehementi irâ concitatus mortem sibi consciscere decrevisset, prostratus humi, respirationeque cohibitâ longo quidem tempore immobilis erat, postea verò paululùm voluntatus, hoc pacto mortuus est, apud Galenum *l. 2. de motu musculor. c. 6.* Ex parte tamen possumus continere spiritum, possumus multum aut parum uno motu inspirare & expirare. Idem de eo motu dicendum, quo urina & excrementa expelluntur. Suspendere eum item possumus ad tempus, non in totum. Abjiciendus tandem pudor est, cum urget necessitas. Unde Galenus *cit. l.* *Nonnulli tacuerunt quidem annum integrum & eo amplius, idq; sponte suâ: egestionem verò vel urinam retinere non modò annis, sed ne mensibus, quin imò nec diebus paucis, nemo potuit.* Quæritur nunc, quam ad speciem spectet Noctambulorum motus: Ubi naturalis quidem per se cadit statim, & Animalis solus relinquitur. Is verò num Spontaneus, num Voluntarius habendus veniat, disquisitione dignum. Cum planè vigilant Noctambuli, & eum deliberatione agunt, quod agunt, res parvi momenti, nec peculiare quidquam est. At de hoc dubium, cum ex parte vigilant, & ex parte dormiunt. Hic sanè non ad Voluntatis arbitrium, sed ad merum Phantasiæ & Appetitûs sensitivi imperium res suas videntur agere. Obtenebrata ibi mens omnis & obscurata est, & aguntur tantùm Phantasiâ indiscretâ. Non neganda tamen hîc in totum omnis *ωγαίεσις*, ad minimum, quod principium motûs hujus attinet. Verbi causâ, si materfamilias cogitans se claves reliquisse extra cubi-

cubile, surgat earum assumendarum gratiâ, interim somno prævalente infectâ re ad lectum redeat. Sic opifex ille, cum forsan præscripsisset sibi pridie summo manè aliquid agendum, nudus de nocte surgens & domo egressus tabernam reclusit suam. Sic alter versûs nocte fecit, & alter picarum nidum exturbavit. Nec obstat, quod non sciant aut attendant Noctambuli, quid agant. Etiam nos multa agimus sine attentione, quæ non facimus sine deliberatione. *Neg, sanè palpebrarum motum semper mente assequeris: neg, cum concionem habes aut oras, aut disputas, adhibes mentem omnium partium motibus: neg, cum Athenas adis ex Piræo, omnibus particularibus curarum actionibus. Nam cogitabundi sæpius imprudenter peregerunt iter, aut etiam praterierunt locum ad quem principio proficiscebantur. Utrum igitur ambulatio neg, animæ actio est, neg, motu voluntario fit?* differit præclare Galenus l. c. cap. 5. Putamus ergo hîc Subjecta discernenda esse. In aliquibus præcessit deliberatio, in aliquibus non. Ubi non præcessit, spontè appetitum sequitur motus ille, quomodo fors & felis & sciurus ita ad nidum arreperent. Ubi præcessit, mistus motus est: voluntarius, quoad inchoationem, spontaneus, quoad continuationem. Uti & aliàs totum hoc negocium Noctambulorum mistum est.

QUÆSTIO III.

Cur Noctambuli ea præstent, quæ præstare aliàs nec vellent, nec possent?

Resp. Quærere posses idem de Ebriis, idem de phreneticis & deliberantibus. Nempè Rationis & Metûs cessatio punctum hîc omne fert. Phantasia & Appetitus in talibus fortior est: mentis verò actiones nullæ, aut obscuræ. In vigilantibus quidem ratio & voluntas in Locomotivam imperium habet; in Noctambulis verò rectæ rationis imperium aut non concurrit prorsûs, aut exigium valdè & obtenebratum est ob vapores halituosos & pertinaces, officinam mentis cerebrum occupantes. Unde fit, ut ratiocinatio nullas in somno con-

618.
sideret circumstantias, & memoriâ quiescente Errores Phantasia non corrigantur, ipsique solo appetitûs ductu cum summâ incogitantia actiones suas aggrediantur. Accedit timoris absentia: qui ut pessimus in dubiis augur, & egregia sæpè facinora intercipit; ita cum deest, multa fiunt, fieri quæ posse negabamus. In Oratore & Disputatore metus interdum bonam causam malè agendo perdit. In militibus, in amantibus, in potantibus item metus impedit, quod animus & corpus posset. Contrâ audentes fortuna juvat, & plurimis audacia pro virtutibus fuit. Sic & hinc Circumstantiæ omnes, à quibus periculi admonerentur aliàs, negliguntur. Phantasia in unum duntaxat intenta in hoc prævalet, spiritûs non sunt diffusi, sed in unum collecti, nulla damni aestimatio, nulla loci superioris cum inferiore collatio, intuta omnia tuta sunt. Hinc Langius l. 2. Epist. Medic. Ep. 45. *Casus ex abrupto, scribit Albertus, iis qui excelsa conscendunt, tunc maximè accidere solet, cum pericula agnoverint & formidare cœperint, eorû virtutes roboris ad cor formidolosum confluunt, lacertos, nervos, musculosq; virtutis motiva organa destituunt. Dormientes igitur securiores sunt, acclamationibus verò experrecti præcipites cadunt.*

QUÆSTIO IV.

Cur Noctambuli non decidant, cum editiora loca conscendunt?

Resp. Lemnius causam ponit in levitate corporum, quæ flatibus turgescant, & spiritu aëreo impleantur, & ita in sublime rapiantur, ac suspensio leniq; gradu, ut limaces & cochleæ, quæ cum oculis carent, protensis cornibus prætentant iter, editissima quæque perreptent. Non secus ac turbinata illa dolia, quæ apud Belgas Oceani ostiis injiciuntur, licet ferreis laminis obducta sint, catenisq; revincta, ac ponderoso ingentiq; saxo alligata, fluitent tamen ac mari innatent, nec nisi dehiscent, minimum devolvantur, quoniam spiritu ac flatibus, aëreque copioso, adhibitis in eum usum follibus, oppleta sint. Sed hoc rationi consonum non esse, DN. SENNERTUS dicit *Instit.*

11
stit. pag. 411. & rectius cum Langio ad formidinis absentiam re-
fertur. Quod & Lemnius ipse facit, cum statim subjicit: *Quod*
verò inoffensè nulloq; corporis incommodo ista peragant, nec labi
contingat aut in præceps agi, eò fit, quod sensim ac nullo metu nul-
lâq; trepidatione aut discriminis respectu ista aggrediantur, quæ
plerumq; vigiles à rebus arduis ac periculosis vel avocare solent vel
detertere. Libavius p. 256. addit, quod ejusmodi hominibus
sint membra exsucca, hirtaq; & levia, spiritûs item agiles, &
extrema penè ἀραιότητα. Non moveri eos ut cochleas, sed
saltu pernici corpus librare, cumque non sentiant asperitates
prementes admodum, non remittere facilè; sicut & nos, quæ
per media, veluti chirothecas aliavè instrumenta corripimus,
arctius teneamus, quàm nudâ manu. Adjicit consuetudinem
in alto versandi, & cerebrum siccius instar avium vel tegula-
riorum, nervos item & alias partes usu crebro firmatas. I-
dem conspici in damarum venatoribus: idem accidisse in A-
lexandri commilitonibus, dum in altissimam rupem conten-
derent, licet non planè destituti instrumentis.

QUÆSTIO V.

An Noctambuli clausis, an apertis oculis
peragant res suas?

Resp. Lemnius & Bodinus scribunt, clausis oculis esse No-
ctambulos, Salius apertis. Sed distinguenda Libavius p. 260.
& Sennertus *Instit. p. 410.* Qui per conclavia nota saltem ince-
dunt, possunt id facere semi apertis aut planè clausis oculis,
non secus ac cæci, quibus omnes anguli domûs noti sunt. Qui
autem domo exeunt, fores aperierunt, seras recludunt,
scalas gradûsq; scandunt, tecta exsuperant, vel apertos ha-
bent oculos, vel brevibus intervallis modò claudunt, modò
aperiunt. *Novimus* (scribit Libavius) *quî retulit nobis, sibi pue-*
ro in somnis occurrisse, quod in oppido adeundus esset patruus. Itaq;
phantasia inductus non habitâ ratione circumstantiarum surrexit,
processitq; nudus usq; ad portam, quam cum clausam invenit, regres-

670.
sus est, interim vigilem in medio vico sedentem observans, qua res non potuit planè clausis oculis peragi.

QUÆSTIO VI.

An concidant Noctambuli, si nomine proprio vocentur?

Resp. Lemnius scribit: Cum ista obeunt, si illos notâ agnitâq; voce, aut eo nomine, quo Christianismo sunt insigniti, ac Baptismo initiati, compellare pergat, ex consternatione incussoque terrore ac perturbatione decidunt, dissipatis scilicet spiritibus, discussaq; vi ac facultate naturali, quâ illa perfecerunt: itaq; permittendi sunt suo motu ferri, atq; in priores sedes se spontè recipere. Bodinus narrat, fuisse quendam noctu agitatam, quem socius qui cum ipso cubit, cum in profluentem ire animadvertisset, non processerit quidem ulteriùs, sed ne ille procederet, nomine appellârit: sic cum repente corruisse dormientem, & submersum esse. Horstius ait p. 7. Accidit cuidam ambulanti in somno, ut ascenderet rotam quâ sarcina attrahi & demitti solent, in eâ postea scilicet mobili sederet, donec spontè descenderet, & silens in lectum sese iterum conferret. Paterfamilias hæc cognoscens, & cum admiratione spectans, aliquando substernit lectulos multos, sedentem acclamat, appellatione nominis sui è somno eum excitat, unde ambulo terrere quodam, sine noxâ tamen, cadit, neque post hæc unquam in somno ambulat amplius. Salius Diverfus habet: Dum hæc scriberem, accersitus sum ad invisendam adolescentulam annum decimum nonum agentem, quæ decimo die à puerperio mediâ nocte somnians se quædam domestica negocia acturam esse, è lecto hieme sæviante, nullis indumentis amicta surrexit, & cum è thalamo hæc imaginatione ducta in partes domûs inferiores descendere vellet, strepitu facto dum ostium aperiret, matrem, quæ unâ cum filiâ in eodem lecto decumbebat, expergescit, quæ mater, novitatem rei admirans, filiam altâ voce clamans, eam increpando vocavit: ex quâ voce expergescens ipsa filia ad lectum redit, affirmans se nisi à somno

1.
mnio excitata fuisset, è thalamo exituram esse. Hinc viginti qua-
tuor dies cum marito dormiens, similiter circa nonam horam noctis
subito è lecto exsiliens & ad ostium properans, expergefata à viro
eam altà voce vocante, flens & tremens ad lectum regressa est, nar-
rans se somniasse, fugere ex lecto tunc temporis voluisse, ad evitan-
dam vim sibi illatam ab homine, venerem ab eà expetente. Possumus
admittere id quidem, quod acclamatio fortis in causâ
sit. Terror enim tum incutitur, & inde spiritus illi, qui antè
copiosi collectique hærebant in exterioribus membris, ma-
nuam cum primis ac pedum, ad cerebrum & cor tanquam of-
ficinam suam & asylum ultimum retrogrediuntur, ac partes
antè infestas desituunt. Concidit ergò & decidit, instru-
mentis his qui caret. Sicut & nos cum profundis cogitatio-
nibus intenti mentem in unum coactam habemus, ad bom-
bardæ dislosionem improvisam, aut tintinnabuli etiam pul-
sum subitum consternamur & exanimamur oppidò. At quod
specialis hæc Nominis proprii acclamatio id præstet, nondum
persuaderi nobis patimur. Cur Nominis communis seu ap-
pellativi idem non præstet, cur hujus nominis proprii, & al-
rius item, cur unius nominis, & non integræ orationis?
Quantitatis ex se nulla est efficacia. Benè Keckermannus
Lib. III. Syst. Phys. c. 29. p. 453. Quod autem nonnulli existimant,
si proprio nomine Noctambulo inlacetur, in præsens discrimen in-
cidere propter eam ipsam nominis proprii appellationem, ut qui-
dem inter alios sentit Lemnius, id superstitiosum est, & ratione ca-
ret. Neq; enim Syllabarum ista est efficacia, sed soni & clamoris,
quo clamore excitantur spiritus, ut à membris exterioribus refugi-
ant versus cerebrum & cor, atq; ita nervi, muscoli & lacerti suo
quod antè habebant robore priventur.


Atq; hæc sunt, quæ super hæc elegantissimâ NOCTAMB-
BULORUM materiâ afferenda ducebam. In quibus si non in-
genii ac judicii sublimioris laudem acquisivero mihi, Me-
thodi tamen ac industriæ nec amifero. Tenuissimis lineo-
lis & in exiguâ tabellâ designare, quæ alii ingentibus in map-
pis & grandi Penicillo describunt, non artis nullius videtur.


PER-


2.
Permista sunt in rebus omnibus clavis obscura, dubia certis
Ubi clariora propter dubia aliqua non abjicienda protinus,
nec dubia tamen ad primum statim contuitum adspernanda
penitus. Explicanda est Natura latens per patentem, non
implicanda patens per latentem. Concludo gravissimâ &
memorabili Galeni sententiâ l. de motu muscul. c. 5. Qui evi-
dentibus fidem abrogat, sensus est expers: qui verò de dubiis prom-
tè pronunciat, temerarius est: qui autem propter obscuritatem,
que in his inest, que etiam clara sunt, habet suspecta, de numero
eorum est, qui dubitationibus oblectantur: porro qui non modò su-
specta habet, verum etiam que clara sunt, propter obscuritatem du-
biorum studet evertere, extremè faturus est. Ne igitur spontè sen-
sum nobis ipsi adimamus, neque dubitationibus æmuli, aut fatui,
aut aliud ejusmodi quidvis simus; sed quod tùm rectum est, tùm
modestis hominibus convenit, quod quidem evidens est, prom-
tè accipiamus: quod autem est dubium, per ocium
queramus.


SOLI DEO GLORIA.











01 A 6605


ULB Halle
003 092 054


3



V3 17
KD 18







28

Q. D. B. V.
De
NOCTAMBULIS
DISPUTATIO POSTERIOR.

Quam
WITTEBERGÆ
A. D. VI. FEBRUARII, A. C. cld Isc L.
Disquisitioni sistunt publica
PRÆSES

M. SAMUEL POMARIUS,
SILESII,

COLLEGII PHILOSOPHICI ADJUNCTUS.

et
RESPONDENS
JEREMIAS SCHWELZ
FRIDEBERGA SIL.

Habebitur in Auditorio Minori horis
matutinis.

